

VI. Non est infallibilis Pontifex Romanus, siue in rebus fidei, siue facti, siue dum pro cathedrâ fert sententiam, siue dum privato nomine decedit.

VII. Veræ sunt Cleri Gallicani de Pontifice, si is etiam pro universalis Occidentalis Ecclesiæ Episcopo habeatur, propositiones, quarum prima est: Papam in temporalia nullam habere potestatem, siue directam, siue indirectam.

VIII. Secunda: Concilium esse supra Papam, vi Concilii Constantiensis, non tantum de tempore schismatis, sed uniuersim intelligendi.

IX. Tertia: ad canones Pontificis iudicium esse adstrictum. Quicquid contra fecerit, irritum esse.

X. Quarta: si Pontifex præcipuam habeat in rebus fidei auctoritatem, ejus tamen decisiones, non accidente Ecclesiæ consensu, certas & infallibiles non esse.

XI. Monstruosa fuit Romana Ecclesia, si juxta Ant. Arnaldum duo habuit principio capita: Petrum & Paulum, etiam quando sententia juxta Innocentium X. cum subordinatione intelligatur Pauli à Petro.

XII. Absurdum est, Pontifici à Principe Evangelico titulum tribui *Sanctissimi Patris*, sub specie ceremoniæ civilis: absurdius, sub eodem prætextu, ut magno Italiæ Domino, ejusdem pedibus oscula figi.

Disp. XLIIIX,

De

Morte & Resurrectione.

I.

DEus non est causa mortis, meritum ejus vel decernendo vel infligendo præcedens, Ez. XXXIII. II. & nec quidem secundum naturam suam esse potest. Matth. XIX. 17. Est tamen causa mortem, si præcesserit meritum, & interminans, Psalm. VII. 12. 13. 14. & infligens. I. Sam. II. 6.

II. Fatalis est vitæ terminus ordinariè ad prævisionem causarum, mortem liberè vel accelerantium vel producentium,

tium,